Potes ne cives letus exitio datos
videre passim. qui exulibus cives potes
hostem admovere. sanguine et flamma potes
implere Thebas. tam ferum et durum geris
sevumque in ira pectus. et nondum imperas.
Quid sceptra facient. pone vesanos precor
animi tumores. teque pietati refer.

Polinices. C Ut profugus errem semper. ut patria arcear.
opemque gentis hospes externe sequar.
Quid paterer aliud si fefellissem fidem.
si peierassem. fraudis aliene dabo
penas. at ille premium scelerum feret.

C Iubes abire. matris imperio obsequor.
da quo revertar. regia frater mea
habitet superba. parva me abscondat casa
hanc da repulso. liceat exiguo lare
pensare regnum. coniugi donum datus
arbitria thalami dura felicis feram.
humilisque socerum lixa dominantem sequar.
in servitutem de regno cadere grave est

Iocasta. C Si regna queris nec potes sceptro manus
vacare sevo multa que possunt peti
in orbe toto quelibet tellus dabit.

C Hinc nota baccho tmolus attulit iuga
qua lata terris spatia frugiferis iacent
et qua trahens opulenta pattulus vada
inundat auro rura nec letis minus
meandros arvis flectit errantes aquas.
rapidusque campos fertiles hermus secat
hinc grata cereris gargara. et dives solum
quod xantus ambit nivibus ydeis tumens



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1671/0109

MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG